



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Tyrocinium Theologicum

Francolini, Baldassare

Herbipoli, 1710

§. 1. De ejus antiquitate, & methodo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39295



TYROCINII THEOLOGICI

P A R S II.

In qua agitur de Theologia Speculativa.

§. I.

De ejus antiquitate, & methodo.

I. Disc.



Stne hæc facultas recens inventa, ut audio à multis dici?

Mag. Nempe ab iis, qui novum, & Patribus ignotum appellant quidquid ipsi despiciunt. Sed hos interroga, an recens esse possit ea facultas, de qua tam expressè S. Augustinus lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 31. *Disputationis disciplina ad omnia genera questionum, quæ in litteris sanctis sunt, pene-*

penetranda & dissolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quaedam ostentatio decipiendi. Eandem laudat lib. 14. de Trin. cap. 1. dicens eam esse, per quam fides saluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.

2. Et quidem sine ea traditur doctrina Fidei pueris, rudibusque qui nihil interrogant, nihil objiciunt, sed audita memoriter discunt, & simpliciter credunt, non autem viris cultis, qui quod audiunt, intelligere cupiunt, & curant quantum possunt; & multò minùs hostibus Fidei, qui quod audiunt, impugnant. Fuit igitur semper in Ecclesia Dei hæc facultas, sine qua citra errandi periculum nequit Evangelicus Præco suo munere fungi. Ad summum perantiqua non est Methodus, & Ordo, quem modo Doctores in hac facultate tradenda custodiunt.

3. Totam enim Fidei doctrinam tractandam à Theologo, explicandamque

dámque rededit in quatuor libros circa ann. 1145. Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, dictus ab hoc opere Magister sententiarum. Quæ enim in unaquâque quæstione Doctorum sententia esset, exposuit. Primus horum librorum continet doctrinam de Trinitate, & unitate Dei. Secundus de creatione Mundi, ac præcipuè Angelorum, & hominum, & de Gratia Dei. Tertius de Incarnatione Verbi, deque virtutibus, & vitiis. Quartus de Sacramentis, & Novissimis, id est Resurrectione, Judicio &c.

4. Hos libros explicandos suscepere, qui postea per aliquot sæcula Theologiam hanc disputatricem tradidere; inque libros sententiarum Petri Lombardi scripsit ipse D. Thomas, quamvis postea paulò aliter in Summa materiam Theologicam digesserit in tres Partes, quarum tamen secunda dividitur in duas, quarum prima dicitur prima secundæ, secunda verò dicitur secunda secundæ. In prima agit

agit de Deo Uno, & Trino, de creatione, de Angelis, ac de homine, præsertim primo. In secundæ partis prima parte agit de beatitudine, de actibus humanis, de Legibus, de Gratiâ, & merito. In altera parte hujus secundæ partis agit de Virtutibus in particulari, nempe de Fide, Spe, Charitate, Sapientia, Prudentia, Justitia, Religione, Pietate, Obedientia, Gratitude, Veritate, Liberalitate, Fortitudine, Temperantia; & de vitiis oppositis, ac tandem de Gratiis gratis datis. In tertia parte agit de Incarnatione Verbi Divini, de ejusdem Christi Nativitate, manifestatione, Baptismo, Conversione, Tentatione, Doctrina, miraculis, Passione, Morte, Resurrectione, ac de Sacramentis ab eo institutis.

5. Hac eadem, aut non admodum dissimili ratione modò traditur in plerisque aut præcipuis Orbis Catholici Academiis.

6. Hæc autem à Theologo Schola-

60 *Tyrocinii Theologici*
stico tractantur ordinatissimè non
coacervando videlicet, ut fiebat
olim, à multis multas circa idem pro-
positum sententias, idque ipsum ver-
bis sæpè impropriis, & oratoriè magis
quàm scholasticè productis, sed pro-
ponendo clarè ac disertè sententiam
suam, eamque validis argumentis
stabiliendo ac demùm ea quæ ab ad-
versæ sententiæ propugnatoribus pro-
feruntur, aut proferri possunt, con-
vellendo. Hac methodo D. Tho-
mas, alitque pauciant ipsum, omnes
post ipsum Theologicas quæstiones
agitârunt.

§. II.

De Locis Theologicis.

Disc. **A**T unde petitis hæc argu-
menta quibus vestram
sententiam Theologi
Scholastici confirmatis?

7. *Mag.* Petimus ex Scripturis, ex
Traditione, ex Conciliis, ex Ponti-
ficum definitionibus, ex Patribus, ex
ratione ipsa.

Pri-